

go obligatos se ad plura Festa sibi habent persuasum, occasio illis multiplicis transgressionis offertur; quam vitare cum debeant Parochi, non possunt a peccato graui in simulatione circa priuilegij reuelationem excusari. Et vtinam dissimulatio dicta ex bono illo oriatur zelo, & non ex turpis lucri respectu, vt scilicet plura Festa cum sint, Indorum crescant obligationes. Neque D. Thomas omnibus citatis locis quidquam habet, ex quo illius Auctoris doctrina possit vel apparenter confirmari. Ex Artic. autem 2. Quæst. 96 illud pro Indis facit, quod S. Doctor his ait verbis: non est idem possibile puero, & viro perfecto: & propter hoc non ponitur eadem lex pueris, quæ ponitur adultis. Multa enim pueris permittuntur, quæ in adultis lege puniuntur, vel etiam vituperantur. Et similiter multa sunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ non essent toleranda in hominibus virtuosis. Sic ille. Quod quidem casui præsentis conuenienter aptatur, cum constet Neophytos puerorum instar esse, & ita circa leges non debent aduulorum more tractari, vnde neque conandum vt ad communia iura dissimulatione priuilegiorum in omnibus, & per omnia reducantur.

D. Thomæ doctrina pro Indis faciens.

Privilegium circa annuam confessionem, quam tribuat latitudinem.

428

DE priuilegijs circa Confessionem multa dicta Cap. 11. Neque hoc loco plura sunt, quæ addi oporteat. In ordine autem ad annuam Confessionis obligationem nullum speciale inuenio, nisi quatenus cum obligatione communicandi Paschali tempore solet esse coniuncta, de qua Capite sequenti. Cum enim præceptum illud possint implere a Septuagesima vsque ad Octauam Corporis Christi; ultra annum & menses aliquos differri eius adimpletio potest: si videlicet qui est die Septuagesimæ confessus, anno sequenti in Octaua Corporis Christi confiteatur. Iuxta probabilem enim, & satis receptam opinionem, annus non debet esse naturalis, sed Ecclesiasticus. Sicut ergo contingere potest, vt qui die 15. Martij, in quam incidit Dominica Palmarum, confessus est, anno sequenti die Maij, in quâ Octaua Paschæ incidat, confiteatur, & sic præceptum adimpleat, vbi ultra anni naturalis spatium notabilis apparet excessus: vel si id accidere nequeat attentâ ratione temporum, saltem ex vi præcepti non repugnaret, quia totam illam latitudinem annus Ecclesiasticus habere potest: Ita & in casu nostro philosophandum est: totum enim illud spatium a die Septuagesimæ vsque ad Octauam Corporis Christi, ad annum Ecclesiasticum pro Indis, & Neophytis alijs spectat, vnde intra illud impletio præcepti stare potest.

Consuetudinem circa hoc extare, & posse præualere.

429 Vbi non immeritò addere possumus, seclutò priuilegio stare posse prædictam anni computationem, ratione scilicet consuetudinis, quam extare in locis aliquibus testatur Synodus Diocesana Limentis Anni 1614. Lib. 1. Cap. 5.

Tituli 5. & generalem esse Pacensis sub Illustrissimo ac Doctissimo Dom D. Feliciano a Vega Libr. 1. Titulo 2. Cap. 4. Circa hoc enim posse consuetudinem præualere, dubitari nequit, quia circa id versatur, quod est de præcepto Ecclesiastico, iuxta communionem Doctorum sententiam, ex quibus aliquos adducit & sequitur P. Escobar de Mendoza Tomo 2. Theologiæ moralis Lib. 15. num. 71. vbi marginale summariū errat, sic enim illud, Hoc mihi placet, cum tamen non placeat nisi priori loco relata sententia, quæ est Scoti, Durandi, Gabrielis, Richardi, Paludani, & aliorum.

430 Ad maiorem autem securitatem priuilegium est à Sede Apostolica impetratum, & est illud Urbani Octaui, quod habetur authenticum in archiuo Collegij Limani Societatis IESV, tenoris sequentis.

Urbanus PP. VIII.

Ad futuram rei Memoriam.

Cum sicut dilecti filij Communitas, Vniuersitates, & homines Regnorum Peruanici, de Chile, & Paraguay, in Indijs Occidentalibus, Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi ob eorum multitudinem, & Confessariorum penuriam inibi vigentem, peccata sua infra breue tempus confiteri minime possint, vnde fit vt quam plures illa nullatenus, aut minus accuratus & fructuosius confiteantur, cupiantque propterea dictis Exponentes sibi per Nos, vt infra opportune prouideri. Nos qui omnium Christi fidelium salutem pro Pastoralis nostræ sollicitudine ingiter inuigilamus, Exponentes præfatos spiritualibus fauoribus & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusus excommunicationis & c. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinari, & ex sententia nonnullorum Romane Curie Prælatorum hac super re specialiter à Nobis deputatorum. Quod in Regnis præfatis tam Indi, quam Mestizi vulgò nuncupatis vel ab Indis & Europæis: nec non Æthiopes, seu Mauri, & Mulati etiam vulgò nuncupati, vel qui ab Europæis & Mauris nati sunt: Præcepto Ecclesiæ de confitendo peccata sua, & sumendo Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento quotannis, possint à Dominica Septuagesimæ vsque ad, & per totam Octauam festi Sanctissimi Corporis Christi satisfacere, Apostolicâ auctoritate tenore presentium concedimus & indulgemus. Non obstantibus Apostolicis, ac Lateranensibus sub Innocentio Papa Tertio Prædecessore nostro celebrati, aliorumque Conciliorum vniuersalium, & Prouincialium, Synodaliumque, generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datis Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 16. Aprilis 1639. Pontificatus nostri Anno 16.

M.A. Maraldus.

Quæ concessio quomodo sit Indicis alijs Prouincijs communis constat ex dictis n. 114. & Mestizorum ac Mulatorum nomine qui veniant, dictum Titulo 5. num. 274. & seqq. Licet autem penuria Confessariorum non adeo magna alicubi sit, priuilegio tamen vti licebit, quia concessio generalis est, & pro communi necessitate.

Notata aliqua circa illud.

tate

tate facta supplicatio; cum tamen Exponentes ita non esse in locis aliquibus neuitquam ignorarent, quod & Pontifex potuit sibi verosimiliter persuadere. Dum ergo non distinxit, visus generaliter concessisse, iuxta dicta numer. 435. & alibi. Et hæc satis iuxta prædictam concessionem.

Concilium Limentis concedens absoluitonem casuum omnium, an obliget post diuisionem Prouincie, & eius vim habeat concessio vrgens præstantes ad aliam.

431 Præterea; quia num. 399. diximus in Concilio Limentis omnibus Parochis, & Confessarijs Indorum approbatis, casus omnes concedi; obseruare oportet, post celebratum illud vt Prouinciale, vnam illam Prouinciam in duas fuisse diuisam, Limentem inquam, & Argentinam, quia Argentina Ecclesiæ in Metropolitana erecta, à cuius Archiepiscopo suum est etiam Prouinciale Concilium conuocatum & celebratum, de cuius conformatione ab Apostolicâ Sede licet illos sine nouâ concessione eosdem absolueret. Ad quod dico factâ diuisione videri cessasse Limentis Concilij auctoritatem erga nouam Prouinciam membra & Capita, iuxta multorum sententiam. Et in primis Archiepiscopus non manet Concilio subiectus, quia quando illud est coactum, talis dignitas non erat; vt autem illi onus imponi posset pro futuris temporibus, debebat dignitas talis vt talis in eodem Concilio habere suffragium. Quemadmodum enim si ad Concilium vnus non fuisset vocatus Episcopus, cum vocari posset, Concilium aut esset nullum, aut Episcopo tali, sicut & eius subditis, legem nullam possent imponere: ita neque Archiepiscopo, qui neque per se, neque per alium, in quo esset eadem dignitas, Concilio interfuit, nec potuit interesse.

Negatiua pars ostenditur, quoad subiectionem.

432 Ex quo argui etiam pro nouâ Prouinciam potest: nam Archiepiscopus non tenetur Legibus Concilij, eò quod dignitas talis vt talis Concilio non potuit interesse: ergo neque Prouincia. Illatio ostenditur; quia Prouincia vt talis Concilio non interfuit, per sua scilicet Capita, quæ eam vt talem repræsentarent: diuersus enim valde status illius est, vt sub diuerso Metropolitanato existit, & diuersis legibus est subiecta, quæ per Prouinciale Concilium condi possunt, nec debet simul antiquis nouisque grauari. Si enim Legibus antiquis tenetur, non poterunt illæ per Concilium ex nouis Suffraganeis congregatum reuocari. Tenetur enim, quia Concilium prius supra membra & Capita est: Superioris autem leges nequit inferior abrogare. Iuxta hæc ergo, cum auctoritas Concilij cesset, cessabit etiam præfata ad absolendum concessio; quia cessat iurisdicctio ad concessionem penitus requisita. Nihilominus oppositum videtur dicendum: quia cum ratio à Concilio adducta valde vrgens sit, & negotium salutis animarum in momenti magni rebus agatur, credendum omnino est Prælatos nouæ Prouincie in idipsum consentire, & velle non irritari ea, ex quorum irritatione inconuenientia adeo ingentia sequerentur. Concilij verba sic habent: Presentis auctoritate Synodi, Parochis, & approbatis Confessarijs Indorum, casus Episcopis reseruati conceduntur, vt ab omnibus illis, & Confessarijs an-

Concil. Limentis 3.

Notata aliqua circa illud.

Theſauri Indici Tom. II.

Indos, cum id expedire in Christo indicauerint: ne Indi propter imbecillitatem suam, & spiritualis sensus inopiam, dum ad Superiores pro reseruato casuum absolutectione recurrere cessant, quod crebro fit, conscientijs suis illud experiantur noxium, quod pro earum salute ab Ecclesiâ prouisum est. Sic Concilium: addens tandem: Liceat tamen Episcopo aliquibus Parochis hanc facultatem restringere, cum ei videbitur expedire. Sed certè vix apparet conuenientia aliqua huiusmodi restrictionis, suppositâ ratione à Concilio adductâ, damni inquam conscientijs Indorum imminenti, si ad Superiores recurrere compellantur, propter imbecillitatem suam, & spiritualis sensus inopiam: Vnde non scimus restrictionem talem Confessarijs impositam. Et ita propter rationem dictam omnibus Parochis & Confessarijs dicendum est talem competere facultatem. Quod autem Concilium non Confessarios indefinitè posuit, sed Confessarios Indorum, non ideo fuit, quia ad Confessiones Indorum debent esse specialiter approbati: sed Concilium id posuit, quod est minimum in genere approbationis: pro Confessionibus enim aliorum limitationes esse solent, pro Indis autem nulla: quia ad eorum Confessiones audiendas minima omnium sufficientia ad hoc genus ministerij sufficiens iudicatur, sicut & ad Æthiopum Confessiones, circa quos idem dicendum, ob eandem prorsus rationem. Videantur dicta, numer. 129.

Cur Confessarij Indorum ex-presi.

Idem pro Æthiopijs.

CAPVT XVII.

De Priuilegijs Indorum circa Sacram Communionem, secundum quod tertio est Ecclesiæ indicta Præcepto.

DE iis, quæ ad præceptum hoc spectant, & Communionem Paschalem concernunt, dictum Cap. 10. §. 1. Capite præced. Sed quia illud ad Communionem etiam pro Viatico sumendam adstringit, pro vtroque hoc loco adicienda nonnulla ad peculiarem Indorum causam opportuna.

433 Et illos quidem, sicut & Neophytos alios ad Paschalem Communionem teneri certissimum est, quidquid nonnulli circa eorum incapacitatem inepte discurrant. Exculti sanè multis æquantur Hispanis, & Europæis alijs, quin & quandoque illis ad sacrum epulum aptiores. Vitium illis ebrietatis obicitur, quibus, vt ebrj sint, vinum ab iis, qui circa extirpationem vitij huius validè obniti debuerant, passim obruduntur, qui & communicant ipsi, indigniores procul dubio, cum grauius delinquant, neque animum habeant ab eo se lulento statu vindicandi. Hoc ipso, quo hæc scribo, anno, testis fidelissimus, & oculatus sacerdos retulit, cum in quodam Indorum populo omnes Communionem fuissent sacrâ refecti, vespere ebrjos deprehensos: sed in promptu causam fuisse, vini scilicet copiam eidem à Præatore violenter obtrusam, quod velint nolint empturi sunt, & per Caciquos distributum, nec bonum tamen, excessiuo nihilominus pretio dato, bibituri. Dolebat ille, & meritò tanti mali

Indos, & Neophytos alios ad Paschalem Communionem teneri.

Ebrjos que obijciunt, quam habent causam.

L.L. 3 labem,



Non omnes eo infames.

Concilij Limentis 3. circa hoc ſalutaris prouiſio.

Ebrietas quoad im- pediat Com- munionem.

Ex eo quod peccatori occulto ne- gari neque- at, argui- tur.

labem, & difficile illius remedium, circa quod viam Gubernantium zelus aduigilet, pro quo non ſolum inter veſtibulum & altare plorare Sacerdotes oportet, & miniſtros Domini, ſed in altari ipſo, & ſemper ac vbiſque conclamare. Nec tamen hoc generale malum eſt, cum videamus Indos & Aethiopes in maioribus Hiſpanorum oppidis, aut nunquam, aut raro caducos: quod ſi plus aliquid in quibusdam, in hac cultiores habent ex Europaeis ſimiles damnatione prouincias, quarum incolae non ideo penitus a receptione Communionis arcentur, quidquid de quibusdam ſit eo in genere deſperatis.

434 Vt ergo circa hoc vti par eſt ſacri Miniſtri procedant, a Concilio Limentis tertio pie & ſalubriter eſt prouiſum, vt ex Act. 2. Cap. 20. conſtat, vbi ſic habetur: In Paſchate omnes Chriſtianos ad huc communicare iubet ſancta Dei Eccleſia, niſi iuſta de cauſa prorogandam Communionem Sacerdos, audita Confeſſione, cenſerit. Quod ſi plerique Neophytorum haecenus ad Euchariſtiae perceptionem non facile admiſſi ſunt, fides exiguitati, & morum ineptitudini tribuendum eſt: cum requirat tanti Sacramenti communicatio tum firmam fidem, caeleſtem illum cibum a terreno & humano diiudicantem, tum conſcientiae munditiam, quam turpitudinis ebrioſitatis, & concubinatibus, & multo magis ſuperſtitionis nefariae proſus labefactat: quibus vitis plurimi his regionibus grauius laborant. Haec Concilium: quibus plane iudicat Euchariſtiam neque in Paſchate illis tribuendam, qui praefatis vitis obnoxii fuerint deprehenſi. Quod ita intelligendum, vt tunc recipere non debeant, quando de emendationis propoſito probabile iudicium non habetur: ſi enim illud extet, licet de emendatione firma non habeatur ſpes, Confeſſarij erit certum circa id ferre iudicium, ſicut Doctores generaliter tradunt, cum id commune ſit aliis vitiorum luto ſubmerſis, qui tamen cum conentur emergere, ad hauriendas aquas accurrunt ex Sacramentis, fontibus videlicet Saluatoris. Tunc enim ſicut Sacramentum Penitentiae non negatur, ita non negandam Euchariſtiam, boni Scriptores affirmant, vt videri poteſt apud Dianam Parte 3. Tra- ctat. 4. Reſolut. 30. quia ex Concilio Trid. Seſſione 13. Cap. 7. ad digne communicandum ſola requiritur a peccato mortali munditia, iuxta doctrinam Apoſtoli 1. Cor. 11. Pro quo eſt ſententia aliquorum dicentium Communionem negari non poſſe peccatori occulto, ſi eam a proprio Paſtore petat ad implendum de illa praecceptum, vt videri poteſt apud P. Gaſparem Hurtadum Diſput. 9. de Euchariſtiae diſſicult. 10. Si enim tali negari nequit, multo minus ei, quem conſtat eſſe confeſſum, & hic & nunc in ſtatu peccati non eſt. Licet autem citatus Auctor contrarium ſenſeat de peccatore occulto: idque ex D. Thoma, & communi Theologorum ſententia probet; eius tamen ratio pro inſtituto praefenti facit, dum ex eo arguit, quod peccator, dum eſt in ſtatu peccati, non habet ius ad Euchariſtiam, quia non eſt in ſtatu a Chriſto requiſito, vt eam poſſit accipere, & credi nequit Chriſtum contuliſſe ius iuſtitiae ad Sacramenta ei, qui non eſt in ſtatu requiſito ab ipſo. Qui diſcurſus de eo procedit, qui in ſtatu peccati eſt, quod in caſu noſtro ſecus ac-

cidit, vt Confeſſario conſtat: ergo non debet ſe Confeſſo Euchariſtiam, eam ad praecceptum implendum petenti, denegari.

435 Pergit Concilium, & ſic loquitur: Sed quoniam & multi Indorum quotidie in Chriſtiana religione proficiunt, & ſunt etiam ceteri inuitandi & praeparandi, vt caeleſti mensa, ad quam etiam paruulos vocari vult (Prouerb. 9.) diuina ſapientia, ſalubriter fruantur: praecipit ſancta Synodus Parochis, ceterisque Indorum Praedicatoribus, vt ſepe ac ſeruo de fide huius myſterij eos inſtruant, veram ac realem Chriſti Dei noſtri praefentiam ſub panis ſpecie doceant, eorum deſiderium ad tantum beneficium excitent, praecipueque ad omnium peccatorum deſertationem, ac puram Confeſſionem, vt eque in melius emendationem exhortentur: vt aſſiduè denique praedicatione dignos dono illo viuifico reddant. Quos autem Parochus & ſatis inſtructos, & correptione vitae idoneos iudicauerit, iſs ſaltem in Paſchate Euchariſtiam adminiſtrare non praetermittat; ne ipſe aliqui Eccleſiaſtici praeccepti violati reus ſit: in quibus autem certam ſententiam tenere non poterit, conſulat Episcopum. Haec Concilium, & pie, & prudenter, & ſanctè, in quibus id quod dicitur de tradenda Communionem iſs, qui ſatis inſtructi, & correptione vitae idonei fuerint iudicati, difficultas occurrit; quia etiam illis, qui emendatione vitae non ſunt idonei redditi, eod quod eiſdem peccatis hoc anno impliciti, quibus & praecedentibus, non videtur deneganda Communionem, ſi hic & nunc de peccatis doleant, ſecundum illum doloris gradum, qui ab eiſdem expromi poteſt, iuxta dicta. num. praed. & eadem conſiteantur. Ad quod dici poteſt eum dolorè ſufficientem videri, addita Confeſſione, vt vitae emendatio poſſit affirmari: iam enim hic & nunc talis emendatus eſt, cum peccandi affectum expulerit, & vitae proponat nouitatem. Quod autem additur, vt ſaltem in Paſchate Communionem talibus praebetur, non tollit alias etiam praeberi: dictio enim ſaltem non arctat, ſed ampliat, quod Iuriſperiti dicunt eſſe ſubſidiariam, vt ſcilicet alij caſus liceant, ſed ille praecipue pro quo applicatur. Ex Cap. Status. 5. Cum viro, de Reſcriptis in 6. vbi Doctores.

436 Id autem quod Parochi officij ſui admonentur, attentè eſt conſideratione tractandum, eos ſcilicet violati praeccepti reos eſſe, qui Indos, ac Neophytorum alios Sacramenti diuini alimento defraudant, cum idonei ad receptionem ſint, & paruuli petentes panem, cum non ſit qui frangat eis. Immenſa enim eſt ſarcina, quam ob violationem dictam Parochi ſupra ſe tollunt, dum omnium eorum, quibus Sacramentum ſubtrahunt, praeccepti tranſgreſſiones, licet materiales, eod quod ipſi grauius non peccent, dum vim in eo patiuntur, formales in ipſis ſunt, grauius peccantibus, dum id negant, quod tradere ad praeccepti impletionem debuiffent. Si ergo in vnoquoque adeo eſt graue delictum huiusmodi praecceptum non implere, vt poena grauiſſima indicat, quam Eccleſia citato in Cap. Omnis vtriuſque ſexus, tranſgreſſoribus eius imponit, vt onus debet importabile reputari: quale illorum erit onus, quam importabilis ſarcina, & inſuperabile pondus, quod ex tot ac talibus ſarcinis, oneribus, & ponderibus integritur?

437 Quod verò in caſu dubio conſulendus Episcopus dicitur, non erit facile ad praxim applica-

Alia à Concilio citato viliſſime praefiſſa.

Non emendatis quomodo tribuenda Commio.

Dictio ſaltem vis.

Parochi culpa, & poena quatenus illius denegatio.

Conſulendi Episcopos quos obligatio.

Et qua illorum pro viſitatione.

Licentia ad Communionem quomodo ſcribi de- bet iuxta Concilium.

Regulares ad id re- neri.

plicari; & in eo Conſilium videtur eſſe potius, quam praecceptum. Et tunc conuenienter exequendum, cum Episcopos viſitant, ad quos eſt ſtatus rei Chriſtiana in iſs, quae ad Indos ſpectant, deferendus, & pro Communionem illis tribuenda, ſecundum rerum exigentiam, conueniens inſtructio requirenda. Si tamen ita feliciter eueniat, vt Episcopos eo accedant; multa enim loca ſunt eorum oculis inaccessa, vt vultum nequeant ſui gregis agnoſcere, nec famem propterea diuini nutrimenti ſentire. Sed hoc ipſi viderint; ad me enim non ſpectat iudices iudicare, licet pro illis ſubſtituenda nonnulla Titulo ſequenti, neque cauſas inquirere, futuras, vti iam iuſtas, ac caeleſti probandas Tribunali, cur viſitationis beneficio oues a Principe Paſtorum eiſdem tradita per ingentia adeo temporum ſpatia priuentur. In longinquo illa, fautor: multum de commodis eſt domeſticae habitationis abiiciendum, annuo: periclitatur ſalus, non inſerior: ſed numquid cum Episcopatus obligatus eſt, ad haec non eſt animus obfirmatus? An non licet tunc dicere, detur validiori: ego enim in pace in diſſum dormiam, & requieſcam? Si Episcopum & Paſtorem animarum noſtrorum ita vnus ouis erratica cura ſolicita, vt eam per inuia, ardua, inamena, & confragosa perquirat: quomodo non iam vna, ſed innumerata ab eo deſerta pereunt, qui vice functionis eius nomen Paſtoris aſſumpſit? Sed ipſi (iterum dicam) viderint, quibus a videndo nomen praclarum aſſulget.

438 Illud in Concilio additur, ſuis etiam verbis proponendum: Nemo vero Indorum aut Aethiopum ad Communionem recipiatur, niſi proprijs Parochi, aut Confeſſoris licentiam ſcripo ſibi datam, oſtenderit. Sic Concilium, cuius decilio praeccepto Chriſti ſubmittitur Matth. 7. v. 6. dicentis: Nolite ſanctum dare canibus. Neque enim aliud eſt Euchariſtiam praedictis ad eam imparatis tribuere, quam ſi canibus tribueretur. Et Diuus quidem Chryſoſtomus in eum locum per canes Gentiles intelligit, per ſanctum Euchariſtiam. Licet autem Indi & Aethiopes Chriſtiani ſint accepto Baptiſmo, dum tamen Chriſtiani moribus non viuunt, ſed brutorum inſtar, Gentilibus in ordine ad effectum dictum adnumerandi ſunt, & ita per canes a Chriſto designati. Cuius circa hoc etiam doctrina non ſtante, ex ipſa rei natura graue praecceptum emergit, cum ſit manifeſtum rem omnium ſanctiſſimam cum omni ſanctitate tractandam, & ita altiſſimum Sacramentum non eſſe praefatis miniſtrandum. Cum ergo iſs, qui idonei ſunt, aliquo debeant ſigno dignoſci; nullum certe adhiberi commodius poteſt, quam ſchedula, in qua licentia continetur. Quod ſi aliud ad effectum talem occurrat iudicium, id certe ſufficiens; cum Conſilium non requiratur licentiam ſcripto expreſſam vt authenticum inſtrumentum, ſed vt licentia facilius & frequentius argumentum. Et licet Regulares Concilij Decreta non adſtringant, iuxta communem Doctorem ſententiam, de qua Titulo 5. numer. 150. circa hoc tamen non poſſunt reſiſtari, quia, vt vidimus, ex Chriſti, & naturae ipſius praeccepto, grauis obligatio conſurgit: ex cuius neglectu graui irreuerentiae incommoda timeri poſſunt, quae & conſtat acci-

diſſe, quorum & oculati teſtes eſſe poſſumus. Quod ſi Indi, aut Aethiopes aliiſque noti ſint, aut idonei appareant, vt ſape accidit, ſine ſchedula adminiſtrari illis Communionem poterit; aliquando enim eam Confeſſarij ad manum non habent, etſi remoueantur tales, non ſine eorum dolore ſtare repulſa poteſt in oculis aliorum.

439 Et haec quidem circa Communionem Paſchalem, & extra mortis articulum, in quo Viaticum a Parochis debere tribui iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, Concilium ſecundum Limentis prouidit Seſſ. 3. Cap. 59. Quod cum executioni non fuiſſet eoſque mandatum, vt par erat, a Concilio tertio grauiſſimo eſt praeccepto decretum Act. 2. Cap. 19. vbi ſic habetur: Volens iſſe ſancta Synodus ad executionem perducere, quae Chriſto duce, pro ſalute Indorum neceſſario ordinata ſunt, ſeuere praecipit omnibus Parochis, vt extreme laborantibus Indis, atque Aethiopibus, Viaticum miniſtrare non praetermittant; dummodo in iſs debita diſpoſitionem agnoſcant: nempe fidem in Chriſtum, & penitentiam in Deum pro ſuo modo. Sic Concilium: cuius loquendi modus excuſationem poteſt fouere quorundam, qui dum Indos atque Aethiopes circa praedictam diſpoſitionem minus habentes inueniunt, miniſtrare caeleſte Viaticum praetermittunt. Cum tamen minime ſint propterea excuſandi, quandoquidem tenentur diſpoſitionem praedictam in eiſdem accurare. Si enim minorem fidem deprehendant, excitare illam debent, & poſſunt quidem iterata doctrina, quo & fiet penitentiam etiam poſſe in illis excitari. Concilium ergo ſic intelligendum, vt Parochi tunc debeant praebere Viaticum, cum diſpoſitionem explicatam inuenierint: vt inueniant autem ſuo non debent officio deeſſe, quod a Concilio vt indubitatum ſupponitur, cum inſtructio diligens circa hoc inter praecipuas officij ipſorum partes veniat computanda, ſicut de Baptiſmo decernitur Act. 1. eadem Cap. 4. non quidem dandum indiſpoſitis; ſed vt indiſpoſiti non ſint, a Parochis inſtruentis.

440 Sed non his contentum illud, ita ſubdit: Neque enim in extrema illa neceſſitate perfecta ſpoſitio re- omnia exigenda ſunt. Cum Sanctorum Patrum Decretis habeant quaecumque fidei, & penitentiae reſtimonium, in ultimo agone poſitis vt ſalutaria Sacramenta miniſtrantur, debere ſufficere. Sic illud: quod eſt quidem ad tollendos ſcrupulos maxime opportunitum; cum accidere poſſit vt a Viatici ſumptione multorum ſalus aeterna dependeat: quandoquidem ſententia grauiſſimorum ſcriptorum eſt, & in iſs, D. Thomae virtute illius primam gratiam poſſe conferri. Citantur autem in margine praedicti Decreti Concilium Carthagin. 4. in Cap. Is qui in infirmitate 26. q. 6. Cap. Si quis de Penitentia, diſt. 7. & Cap. Nullus, ibidem. Cap. Hic qui tempore, 26. q. 6. Ex quibus ſolum Cap. Is qui, de Euchariſtiae agit, alia enim de non deneganda penitentia & reconciliatione, generaliter determinant. Eſt autem illud ex Concilio Carthaginenſi citato, & ſic habet: Is, qui in infirmitate Cap. Is penitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum inuitatus Sacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmuerit, vel ſi inphreſim conuerſus fuerit, dent reſtimonium qui eum LL 4 audie-

Quando admittiſſe illa poſſint.

Parochos teneri Indis, & Neophyſis alijs Viaticum miniſtrare.

Decretum Concilij Limentis 3.

Vtilis circa intelligentiam obſer- uatio.

Minor diſpoſitio requiritur in extreme laborantibus.

Cap. Is qui ex Concilio Carthag. 4.